

ACTVS II

i

CLITIPHO

CL. Quām iniqui sunt patres in omnis adulescentis iudices !
 qui aequom esse censent nos a pueris ilico nasci senes
 neque illarum adfinis esse rerum quas fert adulescentia. 215
 ex suā lubidine moderantur nunc quae est, non quae olim
 fuit.

5 mihi si umquam filius erit, nē ille facili me utetur patre ;
 nam et cognoscendi et ignoscendi dabitur peccati locus :
 non ut meus, qui mihi per alium ostendit suām sententiam.
 perii ! is mi, ubi adbibit plus paullo, sua quae narrat facinora ! 220
 nunc ait “ periculum ex aliis facito tibi quod ex usu siet ” :
 10 astutu’. nē ille haud scit quam mihi nunc surdo narret
 fabulam.

mage nunc me amicae dicta stimulant “ da mihi ” atque
 “ adfer mihi ” :

quod quod respondeam nil habeo ; neque me quisquamst
 miserior.

nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen 225
 habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae.

15 meast potens procax magnifica sumptuosa nobilis.

tum quod dem [eī] “ recte ” est ; nam nil esse mihi religiosum
 dicere.

hoc ego mali non pridem inveni neque etiamdum scit pater.